



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 191. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi
Sacerdotes. v. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

tunt, intelligere. Verissimum etiam est quod meritiissime pro principibus & magistratu oratur, qui tam grauius periclitatur.

§. 191. *Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. v. 10.*

Exprimit hic Euangelista causam, cur ita conatus fuerit Christum liberare Pilatus; nimirum quia iudici constabat Christum ex inuidia per Summos Sacerdotes sibi traditum. Quæ autem inuidia fuerit, Ioannes manifestat, dicens eos dixisse: *Ecce mundus totus post eum vadit, & si dimittimus eum sic omnes credent in eum.*

Domine Iesu, video æquitatem in Ethnico, & confundor in Christiano: nam video & plane sentio hinc inde Christianum etiam subinde furij Inuidiæ agitatum, ac uere linguam suam aduersus proximum suum quando videt illum crescere, se vero minui vel non super omnes excrescere, tunc obliqui aspectus, tunc ægre extortum alloquium, tunc detractiones, tunc etiam insidias esse obseruare. Deus meus conserua me ab hoc malo, per quod mors in mundum intrauit. Sed & mihi hanc da gratiam, ut semper & vbique amore iustitiæ & æquitatis coner Innocentem defendere, & periculis liberare, & promouere, ne iniuriam vllam patiarur, aut damnum.

§. 192. *Pontifices autem concitauerunt turbam ut magis Barabam dimitteret eis. v. 11.*

Quantum malum est inuidia! ecce per inuidiam Pontifices facti sunt populo deteriores, magis imprudentes, tumultum concitantes. Audite ergo Iudith illos increpantem. *Vos estis Presbyteri in populo Dei: & ex vobis pendet anima illorum: ad eloquium itaque vestrum corda eorum erigite, nolite eos in barathrum protrudere, vel potius vobiscum detrahete; misericordiam obsecro eorum, de quorum primitiis & oblatiis viuitis, talia Iudith locuta fuisset.*

O Deus! quare permisisti obsecro tale scandalum, ut Pontifices ipsi & Sacerdotes populo suo tam malo præirent exemplo? Nunquid non merito hinc argumentabuntur hæretici oses Ecclesiæ tuæ dicentes: *Ecce Ecclesia defecit, ut Sacerdotes sic populi, omnes mali facti sunt, non fuit tunc bonus ad vnum.* Ita est: sic argumentari possunt de Synagoga, quia reuera deficere debebat, uti Lucifer oriente sole, & quid mirum defecisse illam Ecclesiam, quæ non habebat promissionem constantiæ æternæ, quam habet Christiana. Argumentetur ergo hæreticus de synagoga, sed non affingat

Christi